(M.M. ♪ = 144.)
Offert. 8. (*sol-do*)




**Secreta.**

Concéde, quaésumus Dómine, semper nos per haec mystéria paschália gratulári : ut continua nostrae reparatiónis operátio, perpétuae nobis fiat causa laetítiae. Per Dóminum nostrum.

2. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 250.

*Praefatio.* Te quidem Dómine. 7.

(M.M. ♪ = 160.)
Comm. 2. (*ré-fa*)






**Postcommunio.**

Redemptiónis nostrae múnere vegetáti, quaésumus Dómine : ut hoc perpétuae salútis auxílio, fides semper vera profíciat. Per Dóminum.

2. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 251.

# DOMINICA IN ALBIS.

*Duplex majus.*

AD MISSAM.

(M.M. ♪ = 152.)
Intr. 6. (*fa-la*)




**Oratio.**

Praesta, quaésumus omnípotens Deus : † ut qui paschália festa perégimus ; * haec, te largiénte, móribus et vita teneámus. Per Dóminum nostrum.

**Lectio Epistolae beati Joannis Apostoli.** *1. Joañ. 5.*

Caríssimi : Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum : et haec est victória, quae vincit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quóniam Jesus est Fílius Dei? Hic est qui venit per aquam, et sánguinem, Jesus Christus : non in aqua solum, sed in aqua et sánguine. Et Spíritus est, qui testificátur, quóniam Christus est véritas. Quóniam tres sunt,

qui testimónium dant in caelo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus : et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimónium dant in terra : Spíritus, et aqua, et sanguis : et hi tres unum sunt. Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est : quóniam hoc est testimónium Dei quod majus est quóniam testificátus est de Fílio suo. Qui credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se.












✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joann. 20. c.*

In illo témpore : Cum sero esset die illo, una sabbatórum, et fores essent clausae, ubi erant discípuli congregáti propter metum Judaeórum : venit Jesus, et stetit in médio, et dixit eis : Pax vobis. Et cum hoc dixísset, osténdit eis manus, et latus. Gavísi sunt ergo discípuli, viso Dómino. Dixit ergo eis íterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixísset, insufflávit : et dixit eis : Accípite Spíritum Sanctum : quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis : et quorum retinuéritis, reténta sunt. Thomas autem unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii discípuli : Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis : Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, et mittam digitum meum in locum clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, íterum erant discípuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus jánuis clausis, et stetit in médio, et dixit : Pax vobis. Deinde dicit Thomae : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incrédulus, sed fidélis. Respóndit Thomas, et dixit ei : Dóminus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus : Quia vidísti me, Thoma, credidísti : beáti, qui non vidérunt, et credidérunt. Multa quidem et ália signa fecit Jesus in conspéctu discipulórum suórum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credátis, quia Jesus est Christus Fílius Dei : et ut credéntes, vitam habeátis in nómine ejus. Credo.

*Offertorium.* Angelus Dómini. 674.

## Secreta.

Suscipe múnera, Dómine, quaésumus, exsultántis Ecclésiae : et cui causam tanti gáudii praestitísti, perpétuae fructum concéde laetítiae. Per Dóminum nostrum.






### Postcommunio.

QUaésumus Dómine Deus noster : ut sacrosáncta mystéria, quae pro reparatiónis nostrae munímine contulísti ; et praesens nobis remédium esse fácias, et futúrum. Per Dóminum.

## AD VESPERAS.







*Sub qua sola dicuntur omnes Psalmi de Dominica*, 218.

### Capitulum. *1. Joann. 5.*

CAríssimi : Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum : † et haec est victória quae vincit mundum * fides nostra.








re- ná-tos lí-be-ra. 8. Dé- o Pá- tri sit gló-ri- a, Et

Fí- li- o, qui a mórtu- is Surré-xit, ac Pa- rácli- to,

In sem-pi- térna saécu- la. A- men.

**Alter Tonus.**

(M.M. ♪ = 152.)

4. (*mi-la*)

1. Ad ré- gi- as A-gni dá-pes, Stó-lis a- mí-cti

cándi-dis, Post tránsi-tum má- ris Rúbri, Chrísto ca- ná-

mus Prínci-pi. 2. Di- ví- na cú-jus cá-ri-tas Sácrum

pro- pí-nat sánguinem, Almíque mémbra córpo-ris

Amor sa- cérdos ímmo-lat. 3. Spár- sum cru- ó-rem

pósti-bus Vastá-tor hórret Ange-lus : Fu-gítque di-ví-

sum má-re, Mergúntur hóstes flúcti-bus. 4. Jam Pá-



scha nóstrum Chrístus est, Paschá-lis í-dem víctima,

Et pú-ra pú-ris ménti-bus Since-ri- tá-tis á-zyma.

5. O vé- ra caé-li víctima, Subjécta cui sunt tárta-ra,

So-lú-ta mórtis víncu-la, Re-cépta ví-tae praémi- a.

6. Ví- ctor sub- áctis ínfe-ris, Trophaé-a Chrístus éxpli-

cat, Cae-lóque apérto, súbdi-tum Ré-gem te- nebrá-

rum trá-hit. 7. Ut sis per- énne ménti-bus Paschá-le

Jé-su gáudi- um, A mórte dí-ra crími-num Ví-tae re- ná-

tos lí-be-ra. 8. Dé- o Pá- tri sit gló-ri- a, Et Fí-

li- o, qui a mórtu- is Surréxit, ac Pa- rácli-to,




*Sic terminantur omnes Hymni ejusdem metri usque ad Ascensionem, nisi propriam doxologiam habeant.*

℣. Máne nobiscum Dómine, allelúia.
℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.




*Cant.* Magnificat. 8. c. 204. — *Oratio.* Praesta, quaésumus. 695.

# Dominica II. post Pascha.

## AD MISSAM.









### Oratio.

Deus, qui in Filii tui humilitáte, † jacéntem mundum erexísti : fidélibus tuis perpétuam concéde laetítiam ; * ut quos perpétuae mortis eripuísti cásibus, gáudiis fácias pérfrui sempitérnis. Per eúmdem Dóminum.

### 2. de sancta Maria.

Concéde nos fámulos tuos, quaésumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia.

3. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 247.

### Lectio Epistolae beati Petri Apostoli. *1. Petr. 2. D.*

Caríssimi : Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus. Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus : qui cum maledicerétur, non maledicébat : cum paterétur, non comminabátur : tradébat autem judicánti se injúste : qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum : ut peccátis mórtui, justítiae vivámus : cujus livóre sanáti estis. Erátis enim sicut oves errántes, sed convérsi estis nunc ad pastórem et epíscopum animárum vestrárum.

